

# WIENER Entomologische Monatschrift.

Redaction und Expedition:

Landstrasse, Gärtnergasse Nr. 45.

In Commission bei

Carl Gerold's Sohn, Stadt Nr. 625.

Nr. 3.

VI. Band.

März 1862.

## Specimen faunae lepidopterologicae riparum fluminis Negro superioris in Brasilia septentrionali

auctoribus **C. et R. Felder.**

Ex quo tempore celeberrimi Bonpland, Natterer et Wallace regiones apud flumen nigrum Brasiliae septentrionalis permigrarunt, nullus Entomologus in his ditissimis commoratus est terris, cel. enim Bates, qui vastam Amazonum vallem a Parà usque ad Andium radices in tota latitudine undecim per annos exploravit, ripas tantum inferiores circa urbem Barra do Rio Negro visitavit. Mirus casus, quod et Bonplandii et Wallacei collectiones entomologicae in mari perierunt et inter magnam Lepidopterorum copiam, quam Museum Caesareum Vindobonense a cel. Natterer accepit, nulla ex dictis inveniuntur regionibus contra, omnia ex meridionalibus Brasiliae provinciis missa sunt. Eo majore affecti sumus gaudio, quum anno praeterito ex Parisii, collectionem Lepidopterorum apud Rio Negro factam recepimus quam memorabili Batesiano opusculo de fauna amazonica appendicem hic adjicimus. Faunam Guiano-amazonicam — ut cel. Batesii verbis utamur — hisce in regionibus in columbicam (Neo-Grenadensem) transire, infera ex brevi enumeratione clare apparebit.

### Fam. Papilionidae.

#### 1. **Papilio Anaximenes** Nob.

Alis utrinque fuscis, anticis dimidio terminali multo dilutioribus, macula atomaria albida, posticis statim pone cellulam fascia lata rubricante, venis in maculas septem dissecta, prima rotundata minuta, reliquis elongatis subcuneatis. ♀

*P. Aeneidi* Esp. et *Olivencio* Bat. sat affinis et forte eorum vicaria, differt maculis rubris alarum posticarum duplo longioribus, angustioribus maculaque rubra inter ramos subcostales apparente.

Malum factum, quod cel. Gray marem solum *P. Eurybatis* sui ex Bolivia allati cognovit.

## 2. *Papilio Eurotas* Nob.

Alis supra atro-fuscis, anticis fascia discali perobliqua abbreviata serieque macularum prope marginem ochraceo-flavescensibus, posticis maculis exterioribus lunatis atomariis, serie dupli ordinatis (inferiore obsoleta) lunulisque sex submarginalibus parvulis (superioribus, macula subcostali lituraque superposita ochraceo atomatis) griseoscentibus, his subtus serie rectissima macularum rotundatarum albo conspersarum, bene distantium pone discum lunulisque septem submarginalibus rubris, maculis obsoletis atomariis griseis pone illam maculaque grossa anali obliqua ochraceo-flava. ♂

Ad sectionem *P. Scamandris* Lacord. pertinet et secundum magnitudinem et formam *P. Lycortae* Feld. \*) accedit, a quo autem alis anticis latioribus (i. e. diametro ab angulo interno ad costam longiore) differt. Ab omnibus speciebus sectionis fascia alarum anticarum latiore, valde obliqua, margini interno subparallelia et absentia fasciae in pagina superiore alarum posticarum recedit. Magis approximatur, quam reliqui vicini, propter alarum anticarum signaturas *P. Zagreus* Doubldy, qui, ut cel. Bates recte dixit, valde affinis est huic sectioni margine costali alarum anticarum serrato, cellulae discoidalis forma venaque earum mediana arcuata optime distinctae. Mira vero alarum forma, costa anticarum integerrima et cellula posticarum longiore discrepat. Ambae sectiones illis *P. Anchisiadis* et *Polycaonis* proxime accedunt.

Cel. adhuc Bates in splendido suo commentario de Lepidopteris amazonicae vallis (Transactions of the entomolog. Society of London. Vol. V. New. Ser. Part. VIII.) observavit „the series of fine species, of which *P. Scamander* Bdv may be considered the type — has no representative in the equatorial low lands of America.“

## 3. *Papilio Protesilaus* Lin.

Marem accepimus, speciminibus Amazoniae et Brasiliae australis majorem et bogotanis omnino conformem.

Rectissime cel. Bates dicit, hanc sectionem minime esse typicam generis.

---

\*) *Lep. Columbiae* Wien. Ent. Monatschrift V. p. 75.

## Fam. Pieridae.

### 4. Euterpe Telasco Luc.

Unus mas nobis missus est, in quēm descriptio cel. auctoris (Revue et Magazin de Zoologie 1852) bene quadrat. Proxima egregiae hujus speciei affinis *E. Bithys* Hübn. Brasiliae meridionalis videtur.

### 5. Euterpe Telthusa Hew.

Omnino cum iconē (Exot. Butterfl. Vol. II. generis tab. I. fig. 1, 3) convenit. Cel. Hewitson eam ex terra Peruviana accepit.

### 6. Euterpe Bellona Cram. var. Negrina Nob.

Masculinum nostrum specimen ab iconē Crameri (I. t. 13 fig. E, F.) differt statura majore, maculis sulphureis alarum antifarum multo majoribus, fasciolam tripartitam formantibus, absentia macularum subapicalium, strigis longitudinalibus paginae inferioris postifarum pallidioribus, in fulvum colorem vergentibus maculisque marginalibus ejus majoribus.

Species *E. Tereae* Godt. proxime accedit.

### 7. Euterpe Calymnia Nob.

Alis utrinque pallide flavescenti-sulphureis, antifarum fasciola ad cellulæ extimum triangulari limboque terminali, postifarum margine externo, aequilato, supra maculis quatuor subtrigonis sulphureis ornato fuscis, his subtus macula ad costæ basin dilute crocea. ♀

Unica femina, quam ex regionibus Rio Negro accepimus, a Bahianis speciminibus *P. Flippantha* Fabr. (*Limnoriae* Godt.) statura minore, colore utriusque paginae, fasciola discocellulari alarum antifarum latiore, limbo exteriore earum margineque postifarum aequilato multo angustioribus maculisque hujus multo minoribus trigonis discrepat. Geographica absque dubio est mutatio dictae speciei. *P. Flippantha* et affines hucusque ad *Pierides* numeratae sunt, sed non dubitare possumus, eas vere ad *Euterpen* pertinere, ob palporum formationem, frontem dense setosam et venam subcostalem alarum antifarum venae costali valde approximatam. Proximae in systemate sequi debent *P. Nigrina* Fabr. et affines ex Nova Hollandia, sed palpi earum minus sunt compressi.

### 8. Euterpe Leucadia Nob.

Alis supra albis, anticis costa tenuissime nigricante, limbo apicali nigro-fusco, subtus anticis fasciola ad cellulæ extimum limboque

paginae superioris brunneis, posticis ochraceo-suffusis, macula ad costae basin dilute crocea margineque externo brunneo. ♂

*E. Leucantheae* (Feld.) valde affinis est species haec in Novae Granadae montibus etiam occurrens, sed differt apice alarum anticarum fusco fasciolaque paginae earum inferioris multo latioribus, colore margineque brunneo paginae inferioris alarum posticarum.

### 9. *Pieris Demophile* Lin.

A speciminibus Brasiliae meridionalis et Guianae non discrepat, nisi femina dilutius colorata.

### 10. *Callidryas Statira* Cram.

Duos accepimus mares, ab iis Brasiliae centralis macula cellulari farinosa alarum anticarum minore recedentes.

### 11. *Callidryas Wallacei* Nob.

Alis supra sulphureo-flavis, limbo externo farinoso mediocriter lato, anticis costa margineque terminali anguste nigris, subtus anticarum limbo apicali posticarumque pagina omni saturatius flavidibus. ♂

*C. Statirae* Cram. et *Boisduvalii* Feld. affinis est haec species, quam unico accepimus specimine, sed major, colore et areolis farinosis paginae superioris multo angustioribus primo intuitu dignoscenda. Propter limbi squamis elatioribus formati, ideo quasi farinosi angustatem nullae talium squamarum in cellula discoidali conspicuntur. In pagina superiore *Callidr. Tritae* Lin. multo similior est.

Nominamus speciem in honorem indefessi ac peritissimi Alfredi Wallace, qui mox, ex orientalibus Novae Guineae litoribus reversus, Angliam adveniet, ante quinque annos relictam.

### 12. *Callidryas Trite* Lin. ♂

Omnino cum speciminibus Brasiliae centralis convenit.

### 13. *Callidryas Cypris* Cram. ♂

Nisi colore saturatiore et pagina infera minus variegata haud differt a forma Brasiliae meridionalis.

### 14. *Callidryas Philea* Lin. ♂

Omnino eadem, ut in caeteris Americae australis regionibus.

### 15. *Amynthia Leachiana* Godt.

Haud recedunt specimina apud flumen Negro capta a bogotanis et brasiliensibus.

Libenter cel. Westwoodii propositum sequentes, genus hoc a

*Gonopteryge* Leach et *Dercade* Boisd. antennis brevioribus, distincte clavatis diversis separamus. Hanc ob rem *Colias* etiam *Lyside* Godt. in genere *Gonopteryge* remanere debet.

Transitum facit *Amynthia* ad *Callidryades*.

## 16. *Terias Arbela* Hübn.

Unicum missum est specimen haud distinctum a brasiliensi in collectione nostra, excepto colore paginae superioris omnino pallide sulphureo-flavicante.

## 17. *Leucidia Elphos* Nob.

Alis utrinque albis, anticis margine apicali anguste nigricante. ♂

*L. Elvinae* Swains. valde affinis, at triente major, colore et margine nigro alarum anticarum plus quam duplo angustiore diversa. Unicum captum est specimen. — Ut cel. Westwood jam indicavit, *P. Elvina* et *Brephos* Hübn. a *Teriadibus* removendae sunt. Differunt ab iis vena subcostali alarum anticarum quadripliata, venae costali valde approximata, cellula idcirco latiore, vena discoidali superiore longe post cellulæ extimum e trunco subcostali oriente, ramis subcostalibus alarum posticarum longius petiolatis, antennis brevioribus articuloque terminali palporum distinctiore.

Nomen a cel. Boisduvalio in collectione pro omnibus *Teriadibus* albo coloratis creatum, a cel. Westwood hasce in species restrictum retinemus. Certe omnium *Pieridarum* minimae sunt formæ.

## Fam. Lycaenidae.

### 18. *Pseudolycaena Marsyas* Lin.

Haud differt a brasiliensibus et columbicis.

Affinitates hujus generis a cel. Wallengren accurate descripti alio loco exponamus.

### 19. *Pseudolycaena Aetolus* Cram.

Mas ex regionibus apud Rio Negro communicatus omnino convenit cum bogotano.

### 20. *Pseudolycaena Acmon* Cram.

A speciminibus Brasiliae centralis negrinum discrepat striga viridi paginae inferioris alarum posticarum minus flexuosa, obsoletiore.

### 21. *Pseudolycaena Sichaeus* Cram.

Magnitudinem praecedentis habet specimen masculinum apud Rio Negro captum. A surinamensisibus et bahiensibus striga alba paginae inferioris angustiore recedit.

**22. Eumenia Minyas Hüb.**

Magnitudo nostri maris eam *E. Atalae* Poey haud superat.

Nomen Godartianum eligimus, quia sub eo primum descriptum est genus peculiare, faciem praestans *Erycinidarum*.

**Fam. Erycinidae.**

**23. Eurybia Halimede Hüb.**

Femina nobis communicata est, a Bahiana statura majore maculisque ocellaribus antemarginalibus minoribus discedens.

**24. Eurybia Franciscana Bat. in litt.**

Alis supra fuscis, anticis ocello discali fulvo cincto, punctis binis fulvis aliisque totidem albis subcostalibus distinctis, posticis cyaneo suffusis, maculis ante marginem ocellaribus nigris, late fulvo cinctis, subtus omnibus brunneis, singulo ocello parvo discali, serie mactularum fuscarum dilutius foetarum pone discum, ocellis submarginalibus orbicularibus concoloribus. ♀

*E. Upidis* Hüb. certe varietas geographica, circa Bahiam quoque et in Amazonum valle, ubi cel. Bates eam invenit, occurrens. Femina apud Rio Negro capta a Bahiana ocellis aliter formatis, margini magis approximatis, in alis anticis supra oblitteratis paginaque superiore earum cyaneo suffusa discrepat.

**25. Helicopis Endymion Cram. var.**

A surinamensi differt mas apud flumen nigrum collectum lunulis marginalibus alarum posticarum supra oblitteratis, maculis plumbeis seriei tertiae paginae inferioris multo majoribus lunulisque ideo (apicalibus exceptis) angustioribus.

**26. Helicopis Cupido Lin. var.?**

Unicam feminam accepimus. Multum haeremus, varietas an aberratio sit.

Brasiliensibus quarta fere parte major est, pagina utraque alarum albida, passim ochraceo tincta, alae anticae apud basin testaceum ostendunt colorem, cilia alba sunt, maculae submarginales haud plumbeae sed argenteae, maculae elevatae paginae inferioris alarum posticarum argenteae et aequalibus separatae intervallis.

**27. Anteros Ampyx Drury.**

Unus mas missus est.

In forma alarum et venarum distributione *Lycaenidis* hoc genus simile est.

**28. Erycina Laodomia Nob.**

Alis nigro-fuscis, supra magna ex parte laete cyaneo nitentibus, utrinque fasciis duabus maculisque totidem analibus albis, subtus distinctioribus, fasciola anali arcuata cinnabarina in posticis, macula minuta concolore ad basin costae inferam anticarum. ♂

*E. Laonomae* Morisse affinis, sed caudae longiores sunt et apice albo ciliatae.

**29. Erycina Glaphyra Doubldy.**

Unam recepimus feminam ab *amazonica* haud diversam.

**30. Erycina Pyretus Cram.**

Haud differt ab *amazonica* et *surinamensi*.

**31. Erycina Callias Nob.**

Alis supra fuscis, violaceo tinctis (praesertim ad angulum analem posticarum), striga communi discali fasciolaque anali posticarum chermesinis, his maculis tribus exterioribus plumbeo-cyaneis, subtus omnibus eleganter cyaneo fulgidis, macula basali fasciaque pone discum atris, posticis macula interiore margini anali parallela chermesina maculaque infra eam, albida. ♂

*E. Etiae* Saund. affinis est unicum specimen communicatum, alae autem anticae apice et posticae apud angulum analem multo magis sunt productae.

**32. Erycina Neurodes Feld. var.**

Lep. Columbiae. Wien. Ent. Monatschrift V. p. 98.

Differt a speciminibus *Columbiae* fascia alba tertia parte latiore.

**33. Zeonia Amazona Saund.**

Haud recedit ab *amazonica*.

**34. Lyropteryx Apollonia Westw.**

Major est, quam specimen a cel. Hewitson figuratum.

**35. Cyrenia Martia Westw.**

A descriptione cel. Westwoodii nostrum discrepat specimen macula alba parvula in costae medio alarum posticarum punctoque subapicali concolore in pagina earum infera apparentibus.

**36. Panara Barsacus Westw.**

A descriptione cel. autoris differt ciliis nigris. Femina est nostra.

**37. Amarynthis Meneria Cram.**

Signaturis chermesinis latioribus a surinamensi recedit.

**38. Symmachia Colubris Hüb.**

Nullum discrimen inter hoc specimen et Bahiana observatum est.

**39. Emesis Arminius Fabr. (Ops Latr.)**

Subspecies est *Em. Mandanes* Cram. *surinamensis*. Specimen apud Rio Negro collectum a bogotanis differt strigis ferrugineis paginae inferioris latioribus.

Robustitate alarum et corporis species ista bene distinguitur a congeneribus.

**40. Emesis Cypria Feld.**

Lep. Columbiae in Wien. Ent. Monatschrift V. p. 99.

Unus missus est mas egregiae hujus speciei cum venezuelano omnino congruens.

**41. Nymphidium Calyce Doubldy in litt.**

Alis supra rufesceni-fuscis, anticarum limbo costali apiceque et striga communi exteriore ferrugineis, his figuris cellularibus fuscis albido cinctis strigaque brevi subapicali arcuata albida, fascia lata interiore usque ad marginem analem posticarum ducta alba, omnibus fascia marginali ocellorum irregularium nigrorum cinereo cinctorum, in pagina inferiore multo majorum, albo cinctorum. ♀

*N. Gelae* Hew. affinis est species ista apud Amazonum flumen quoque degens. Circa Bahiam similis volat forma.

**42. Charis Cleodora Godt.**

**43. Charis Theodora Nob.**

Alis supra nigro-fuscis, fascia exteriore strigaque antemarginali aeneo-virescentibus, subtus pallide brunneis, strigis flexuosis punctorum nigris, posticis fascia postica obsoleta fusca punctisque seriatis externis nigris, harum ciliis latis, utrinque albis. ♂

In Brasilia etiam meridionali prope Rio Janeiro cel. Natterer pulchram hanc speciem collegit. Secundum alarum formam *Ch. Gynaeae* Godt. accedit.

**44. Tharops Meris Cram.**

### Orestias Nob.

A *Limnade* Boisd. et *Phele* Boisd. \*) differt antennis multo gracilioribus ramoque quarto subcostali alarum anticarum (i. e. parte terminali venae) infra costae apicem exeunte, a priore insuper vena discoidali alarum posticarum ramis subcostalibus magis approximata et ramis ultimis medianis earum magis distantibus, a *Phele* vena discoidali superiore libera et inferiore fere in medio venae discocellularis oriente. Pedes etiam robustiores sunt, quam in generibus memoratis et breviores quam in *Limnade*.

### 45. Orestias Vitula Nob.

*Limnas Vitula* Hew. Exotic. Butterfl. Vol. I. generis tab. I. fig. 5.

Haud differt ab *amazonica*.

Cel. Bates jam diversitatem hujus speciei observavit.

### Brachyglenis Nob. ( $\beta\omega\chi\nu\varsigma$ , brevis, $\gamma\lambda\eta\nu\eta$ , cellula.)

Praecedenti affinis, sed cellula discoidali omnium alarum brevissima, ramo subcostali quarto alarum anticarum a costa magis distante pedibusque gracilioribus et longioribus recedens.

### 46. Brachyglenis Esthema Nob.

Alis integerrimis, supra plumbeo-griseis, subtus glauco-albidis, utrinque venis nigro marginatis, anticis fascia obliqua abbreviata exteriore albida, venis in maculas elongatas divisa limboque post eam nigricante, abdomine obscure plumbeo-cano, lateribus aurantiacis. ♀

Unam recepimus feminam egregiae hujus speciei antennis omnino carentem. Formam habet *Phelis*, signaturas vero et colorem generis *Esthemae* Hübn. ex *Arctiidarum* familia. Specimen nostrum paullo majus est, quam *Pheles heliconioides* Boisd. Herr.-Schäff. Mirum est factum, quod *Arctiidae* in Nova Granada inveniuntur, quae et cum *Phele* magnam praestant similitudinem in colore et signaturis alarum.

### 47. Monethe Albertus Nob.

Alis supra fuscis, anticarum macula majori ovali binisque conjunctis parvulis subapicalibus, posticarum plaga basali ochraceo-albis,

\*) Minime pertinet *Pheles* ad genus *Neriadém* Blanch. (*Stalachtidém* Hübn.), ut cel. Herrich-Schäffer in indice elegantis operis „Lepidopt. exotic. spec. novae vel minus cognitae“ scripsit. Palpi, caput, abdomen et venarum distributio diversissima sunt. *Limnadibus* potius affinis est, sed ab his facile distinguitur vena discoidali superiore alarum anticarum e vena subcostali post cellulæ extimum in eodem loco, ut ramus hujus secundus, emissus et inferiore longe supra venae discocellularis medium nata.

subtus omnibus dilute brunneis, disco fuscis, plaga basali ochraceo-alba, anticarum fascia exteriore abbreviata, posticarum macula prope angulum analem concoloribus. ♂

A *M. Alphonso* Fabr. differt statura majore, maculis multo majoribus, pagina inferiore haud nigro venata, aliter colorata, praesentia fasciae in ea apud alas anticas et maculae marginalis apud posticas.

Genus a *Themone* Hübn. extra characteres a cel. Westwood indicatos antennis longioribus, robustioribus, palpis caput superantibus, cellulaque alarum anticarum angustiore et longiore discrepat.

Species nostra in Nova Granada etiam occurrit. Surinamensis specimina haud vidimus et hanc ob rem incertum habemus, nostram an brasiliensem formam Fabricianam esse speciem.

### Fam. Libytheidae.

#### 48. *Libythea Carinenta* Cram.

Nostrum specimen masculinum a brasiliensibus et surinamensibus differt speciminibus colore multo pallidiore.

Sectionem formant americanae generis species palpis longissimis adpresse pilosis, sensim attenuatis optime distinctam.

### Fam. Danaidae.

Distinguitur haec ab omnibus *Suspensorum* familiis vena interna alarum anticarum ad basin bifurcata et larvarum forma. A *Nymphalidis* et *Biblidis* palporum quoque structura discedit. Complectitur genera *Euploea* Fabr., *Danais* Fabr., *Hestia* Hübn., *Hamadryas* Boisd., *Tithorea* Boisd., *Lycorea* Doubldy, *Ituna* Doubldy, *Olyras* Doubldy, *Eutresis* Doubldy, *Athesia* Doubldy, *Methona* Hübn., *Thyridia* Hübn., *Dircenna* Doubldy, *Ithomia* Hew. et *Mechanitis* Doubldy, quae omnia, tribus primoribus exceptis, ad *Heliconiidas* numerabantur.

#### 49. *Danais Archippus* Fabr. var.

Minor, quam specimina Americae septentrionalis, maculis subapicalibus alarum anticarum pure albis recedens, cum bogotanis omnino congruens.

#### 50. *Ituna Lamyra* Latr. var.

Haud omnino quadrat descriptio cel. Godartii in nostra specimina.

A maribus ex Andibus reipublicae Ecuador et Nova Granadae acceptis negrinus differt statura minore, maculis alarum anticarum majoribus, externis confluentibus, margine interno nigro, maculis tribus subapicalibus alarum posticarum minoribus, distinctius separatis marginique postico nigro latiore. Feminas duas recepimus inter se sat

diversas. Una maculas alarum anticarum cellulae habet majores et cum exterioribus subconfluentes, marginem internum earum vix fulvum maculasque externas posticarum multo minores. A Neo-Granadensisibus utraque discedit macula basali vittaformi alarum anticarum breviore, maculis reliquis majoribus, magis confluentibus, maculis alarum posticarum multo magis separatis, colore fulvo in omnibus alis parce illito staturaque minore. Observandum est, feminas hujus formae sicut et Neo-granadensis, a maribus praesentia maculae basalis trigonae vittaformis in alis anticis differre. Haec enim in mare negrino et columbico omnino deest.

*I. Lamyra Latreillana* a cel. Humboldt in Andibus peruvianis collecta, forte sat differt ab omnibus supra memoratis.

#### 51. *Lycorea Pales* Nob.

Alis utrinque obscure fuscis, anticis vittis duabus basalibus, dilute fulvis, prima maculae irregulari ochraceae adhaerente, maculis duabus subcostalibus, tribus subapicalibus obtusecatis, duabus minutis inter ramos medianos ultimos unaque basin versus clavata pallide ochraceis, posticis fascia discali vittaformi alteraque exteriore lata dilute fulvis maculisque submarginalibus punctiformibus albis, subtus majoribus. ♀

Unum specimen recepimus hujus geographicae formae *L. Atergatidis* Doubldy, a qua differt colore pallidiore, vittis alarum anticarum latioribus, maculis earum minoribus, fascia discali posticarum fulvo colorata, maculis submarginalibus earum majoribus et praesertim fascia exteriore latiore, margine quare nigro multo angustiore.

#### 52. *Methona Megisto* Feld.

Lepid. Fragm. in Wien. Entom. Monatschrift IV. p. 103.

Una femina nobis missa est, a Bahiana, quam in fragmentis nostris l. c. descripsimus, alis latioribus plagiisque alarum posticarum hyalinis bene distantibus recedens.

Mares nunc habemus ex Bahia, quae a *Meth. Themisto* Hübn. statura majore, alis longioribus, plaga apicali hyalina alarum anticarum minore, macula basali hyalina earum breviore, venis alarum posticarum minus nigro coloratis et praesertim margine nigro earum apud ramum medianum secundum dentem distinctum formante differunt. Notandum insuper, eos a feminis striga hyalina inter venam costalem et subcostalem alarum anticarum sita semper fundi colore interrupta discrepare.

#### 53. *Thyridia Ino* Nob.

Alis nigro-fuscis, anticarum macula basali trigona, fascia discali obliqua plagaque multo latiori subapicali, posticarum stria costali,

plagis duabus separatis, interiore (marginem externum versus) breviore, hyalinis, nigro venatis, subtus anticus maculis apicis duabusque marginis postici, posticis macula ad costae basin aliisque binatis externis glauco-albis. ♂

Medium quasi tenent duo masculina specimina hujus formae inter *Th.*

*Psidii* Lin. et *Pythonem* nostram (l. c. p. 102). Propter marginis nigri alarum posticarum formationem certe *Th. Psidii* similiores sunt, sed plagis earum, ut in *Th. Python* dilatatis recedunt. Ab ambabus dignoscuntur plagis hyalinis alarum anticarum multo latioribus et plaga discali fasciaeformi apud venam medianam haud interrupta. Plagae alarum quoque posticarum illis *Th. Psidii* latiores sunt, fundo nigro bene separatae et minime confluentes, ut in *Th. Python* bahiensi. *Th. Psidii* certe affinior est, quia macula alba *Th. Pythonis* in alis posticis inferis inter venam costalem et subcostalem post costae medium sita omnino abest.

Unum specimen in pagina superiore alarum posticarum puncta quatuor alba in margine postico exhibet, alterum iis omnino caret.

#### 54. *Ithomia Eurimedia* Cram. var. *negricola* Nob.

A *surinamensi* et *amazonica* differt vitta alarum anticarum multo latiore, subtriangulari. In Venezuela tertia occurrit forma.

#### 55. *Ithomia Orolina* Hew.

Duos receperimus masculos, multo maiores, quam figura cel. Hewitson (Exot. Buttl. Vol. II. gen. t. XXIII. 141) ac venis distinctius fusco marginatis recedentes. Cel. Bates duo specimina omnino conformia ex valle Amazonum nobis misit.

#### 56. *Ithomia Zavaletta* Hew. var.

Mas apud flumen nigrum captus differt a bogotanis maculis paginae superioris marginalibus albis minoribus, margine alarum anticarum nigro angustiore aliquaque posticis ad basin magis nigro atomatis. Femina a mare margine nigro alarum posticarum multo latiore, macula cellulari atra alarum anticarum distincta maculisque albis marginalibus posticarum majoribus differt.

Proxima affinis hujus speciei est *I. Kedema* Hew. Magnam habent similitudinem cum genere *Dircenna*. Affinitates horum insectorum alio loco exponere conabimur, sicut et divisionem in sectiones.

#### 57. *Ithomia Pharo* Nob.

*I. Inachia* var. apud Hew. Exot. Buttl. Vol. II. gen. tab. XXIII.  
fig. 143, 144.

Omnino respondet specimen ad flumen Negro captum figurae citatae,

apud ramum tantum medianum primum alarum anticarum plaga hyalina triangularis maculam nigram, in fundum transfluentem ostendit.

In Brasilia centrali prope Bahiam etiam volat species, ista vero specimina minora sunt, alas latores et apud anticarum apicem superum puncta bina gerunt alba.

Differt *I. Pharo* ab *I. Inachia* Hew. alis longioribus et margine nigro alarum posticarum multo latiore, introrsum sinum disinctum formante. *I. Zelica* Hew. affinis videtur nostrae.

### 58. *Ithomia Astrea* Cram. var.

Una missa est femina, a figura Exot. Buttfl. Vol. I. Gen. tab. XII. 69 macula triangulari basali alarum anticarum magis separata, fascia ultra originem rami mediani secundi extensa, fasciola subapicali angustiore, minus maculari, strigae fulvae adhaerente posticarumque margine nigro latiore, striga ejus fulva supra oblitterata discrepat.

### 59. *Ithomia Agarista* Nob.

Alis supra nigro-fuscis, anticis macula trigona basali, altera obliqua quadrata cellularibus tribusque exterioribus hyalino-albis, utrinque striga externa fulva, posticis fascia lata discali hyalino-alba, litura discocellulari nigra, subtus costa strigaque externa fulvis. ♂

*I. Astreæ* Cram. (*Floræ* Hew.) valde affinis est, sed maculis alarum anticarum semper distincte separatis recedit.

In republica Ecuador quoque volat, sed specimen negrinum differt ab his statura minore margineque nigro alarum posticarum multo latiore.

### 60. *Ithomia Epicharme* Nob.

Alis nigricantibus, macula basali triangulari alteraque transversa cellularibus, fasciola terminali abbreviata maculaque mediana elongata hyalino-albis, posticis ♂ris fascia perlata discali, ♀nae angusta, hyalina, subtus striga submarginali communi costaque posticarum ferrugineo-fulvis, maculis binatis marginalibus albidis.

Femina mari *I. Onegae* Hew. valde similis est, sed facile differt fascia alarum posticarum venam medianam cingente.

### 61. *Mechanitis Meneclæs* Hew. var.

Unam accepimus feminam ab icona (Exot. Buttfl. Vol. II. gen. tab. III. fig. 13) maculis flavescentibus alarum anticarum majoribus lunulisque quatuor nigris discalibus in pagina superiore alarum posticarum distinctissimis recedentem.

## 62. Mechanitis Maelus Hew. (*pardalis* Bat. in litt.) var.

Mas apud flumen nigrum collectus ab amazonico differt colore pallidiore, striga secunda flexuosa alarum anticarum angustiore et fulvo colorata maculaque flava in striga prima omnino absente.

Batesianum nomen libenter speciei daremus, quia signaturas alarum anticarum optime describit.

## Fam. Acraeidae.

Haec familia a praecedente vena interna alarum anticarum simplici, larvarum forma, palporum imaginis vestitu atque antennarum formatione, a *Heliconiidis* et *Nymphalidis* palpis multo magis compressis, semper tenuiter pilosis, ab omnibus *Suspensis*, *Satyridis* solis exceptis, cellula discoidali alarum anticarum illi posticarum conformi discrepat.

## 63. Acraea Terpsinoë Nob.

Alis anticis supra fuscis, plaga basali ochraceo-fulvescente, litura nigra cellulari notata, fascia exteriore abbreviata maculisque duabus (saepius una), concoloribus, posticis ochraceo-fulvescentibus, tenuissime nigro venatis, limbo externo nigro-fusco, subtus pallide fulvescentibus, nigro venatis et conspersis, fusco plicatis, fascia exteriore atomaria brunnea bifida limboque externo nigro atomato. ♂

*A. Antaeae* Doubldy Neo-Granadensi valde similis est geographicā haec forma. Differt colore, maculis basalibus alarum anticarum multo minus divisis, cohaerentibus, fascia subapicali earum multo angustiore plicisque alarum posticarum supra omnino fulvo coloratis. Staturam nostra duo specimina habent majorem, quam *A. Anteas*, quae copiose ex Andibus bogotanis nobis missa est.

## 64. Acraea Negra Nob.

Alis supra nigro-fuscis, anticis plaga basali fulva fasciaque lata proxime post cellulam sita lutea, posticis ultra medium fulvis, tenuiter nigro venatis, his subtus basi ochraceis, apud discum rufescentibus, limbo externo venis plicisque fuscis. ♂

*A. Lavernae* Doubldy venezuelanae geographicā mutatio, tertia parte minor, fascia alarum anticarum multo latiore, plicis alarum posticarum supra haud conspicuis paginaque earum infera fusco limbata sat differt.

## 65. Acraea Dice Latr.

*A. Callianira* Hübn. Zutrge (*Amida* Hew. ?) proxima huic affinis est.

## Fam. Heliconiidae.

Haecce familia valde affinis est *Nymphalidis*, sed distinguitur palpis teretiusculis, haud quadrangularibus, saepissime valde compressis, apicem versus conice attenuatis, valde divergentibus, articulo ultimo subnutante. Cum *Danaidis* jam propter larvarum formam, ut cel. Bates nobis scripsit, et venam internam alarum antifarum ad basin simplicem (cf. Doubldy. Gen. of diurn. Lep.) confundi nequit. Unam forte quondam familiam cum *Nymphalidis* formabit.

### 66. *Heliconius*<sup>\*)</sup> Aërotome Nob.

Alis anticis supra nigro-fuscis, anticis vittis duabus angustis, striga flexuosa discali connexis, margine interno fasciaque externa saepius obsoleta fulvis, striga pone discum alteraque apicali macularibus, sulphureo-flavacantibus, posticis fulvis, fascia discali extus profunde crenata margineque externo fusco-nigro, macula apicali sulphureo-flava, subtus omnibus pallidioribus, anticis maculis insuper apicalibus binatis sulphureis, posticis macula subcostali sulphureo-flavescente, duabus apicalibus concoloribus vel albidis striolisque marginalibus glauco-albis. ♂

Duo recepimus specimina. Sat affinia sunt *H. Eucomae* Hübn., quam cel. Bates ex amazonica terra nobiscum communicavit, sed majora, alis latioribus, antifarum vittis fasciaque multo angustioribus, postifarum vitta discali profunde crenata margineque externo earum anguste fusco, supra impunctato discrepantia.

Haud absimilis est secundum alarum antifarum signaturas species nostra *Mechanitidi Maelo* Hew., de qua supra fecimus mentionem.

### 67. *Heliconius Aglaope* Nob.

Alis supra nigro-fuscis, anticis triente basali lateritio fasciolaque sinuata pone cellulam pallide flavescenti-sulphurea, posticis fascia abbreviata discali strigisque latis inter venas, antice claviformibus lateritiis, subtus omnibus fuscis, antifarum triente costali usque ad venam medianam, postifarum maculis binis basalibus rufis, striga costali (sulphureo atomata), subcostali et discali aliisque linearibus inter venas pallide lateritiis. ♂

---

\*) Quum nomen „*Heliconia*“ ex temporibus immortalis Latreille ab auctoribus applicatum, jam plantarum genus ex *Scitaminearum* familia ferat, Linnaeanam nobis placuit restituere denominationem. („Papiliones Heliconii“ Syst. Naturae.) Cel. Verloren in optimo Catalogo systematico ad Cramerum 1837 solus illic excipiendus est (p. 185 sq. „*Heliconius*“).

*H. Thelxiopae* Hüb. accedit, major autem et absentia maculae cellularis flavescentis in alis anticis earumque fascia haud maculari primo aspectu dignoscenda. In Brasilia meridionali valde similis species a cel. Natterer collecta est.

### 68. *Heliconius Amaryllis* Nob.

Alis supra nigro-fuscis, anticis plaga discali subsinuata rubra, posticis fascia discali vittaeformi recta, extrorsum acuminata sulphureo-flava, subtus pallidioribus, striga insuper costali sulphurea maculisque duabus basalibus sanguineis. ♂

Optimum tenet locum ista species unico mare accepta inter *H. Phyllidem* Fabr. et *Demophoontem* Ménétr. bogotanum. Ab utroque differt maculis basalibus in alis posticis inferis duabus tantum, a priori insuper absentia strigae flavidæ apud venam medianam alarum antistarum, a posteriore forma fasciae alarum postistarum, quae minime est arcuata et cujus ultimum segmentum (inter ramos subcostales) omnium longissimum apparet. Ambobus nostrum specimen *Amaryllidis* major est.

### 69. *Heliconius Rhea* Cram.

### 70. *Heliconius Clytia* Cram.

Discedit a surinamensibus et columbicis speciminibus plaga alarum antistarum angustiore.

### 71. *Heliconius Doris* Cram.

### 72. *Eueides Aliphera* Godt.

*Acraea Aliphera* Boisd. Spec. gén. Atlas pl. 11, fig. 4.

Species haec supra totam Brasiliam, Guianam et Columbiam usque in septentrionem mexicanam dispersa est absque levissima variatione.

Ad *Nymphalidas* olim \*), cel. Doubleday imitantes, genus hoc locavimus propter antennarum et abdominis formationem, sed palporum accurata indagatio nobis docuit, illud *Heliconiis* affinius esse, cum quibus in venarum etiam distributione optime congruit, ut cel. Doubleday jam indicavit in immortali opere „Genera of diurnal Lepidoptera“.

(Continuatur.)

---

\*) Nov. Act. Acad. Not. Curios. Vol. XXVIII. Nymphalid. p. 6, 7, sed confer. p. 5.